

1731. Relatio de Festivitate S^me Virginis de Pasculo
Romę in Ecclesia SS. M. S. S. Sergij & Bacchi solemniter peracta.

Die 6^{ta} 7bris 1731. Exornata fuit intus tota Ecclesia peristro-
matibus sericeis Damascenis coloris rubri, super altaria autem
collateralia videbantur duo insignes Tapetes sericei opere Phry-
gio ac picti. Altare quoque maius uestitum fuit heteromallo
sericeo. Idem altare maius ornatum fuit candelabris mag-
nis & Reliquiarijs argenteis cum ingenti copiā candelarum
de cera uirgine, quod totum ornamentum insignem maje-
statem et magnificentiam oculis spectantium exhibebat. Duo
etiam altaria collateralia habebant suum decus tum ex
ornatu heteromalli sericei tum ex candelabris Reliquia-
rijs que argenteis. Extrinsecus uero totum plane frontispiciū
Ecclesię ornatum fuit sericeis telis tapetibusque ac pictis,
et opposito quoque propinquarum lapidearum parietes tecti
fuerunt si milibus tapetibus, ita ut area tota ante Ecclesi-
am pulcherrimum theatrum uideretur. Sic rebus accomo-
datis, die suprad^a celebratz sunt Vesperę prime pontifica-
liter per Rmūm Abbatem Procuratorem Generalem Basi-
lianorum Italorum cum nobili assistentiā clericorum &
Maris Majoris. Vesperas cum magno plausu decantarunt
Musici insignes uariis instrumentorum concentu elegan-
tissimas uoces adornantes. Adfuit magna populi frequen-
tia, suam quoque presentiam donauit serenissima Re-
gina Anglarum.

Die 7^{ma} 7bris festiuitas ipsa Thaumaturgę nostrę dema-
ne habuit magnam copiam missarum lectarum ad tria al-
taria. Summam uero ante meridiem celebrauit & factus
Rmūs Abbas pontificaliter cum insigni musica, et fre-
quen-

quentiâ precipue nobilitatis. Horis pomeridianis con-
tinuus perseveravit populi concursus, ac tandem secunde
vespere cum supradictis solemnitatibus peracti sunt. Eadem
die pro diversis vicibus explosa sunt mortaria octoginta.
Nocte vero iam factâ illuminatæ fuerunt fenestæ pala-
tiorum & lapidearum per totam amplissimam montium
legionem. Et pro majori festivitatis pompa Fons insignis
Lapidæus in area ante nostram Ecclesiam positus orna-
tus fuit totis artificiosè frondibus laureis, et circa cir-
cum disposita plusquam sexcenta Luminaria, et ac-
censa pulcherrimum quia hactenus nunquam visum
spectaculum omnibus exhibebant.

Die tertia Idibus in Feste Natiuitatis Bnæ Virginis a summo
mane usque ad meridiem tantus fuit populi concursus,
ut cum non posset capere multitudinem Ecclesia, pars
magna totam arcam extrinsecus occupabat. Talis fre-
quentiâ integrâ die perseveravit, et nec pro meridie
Ecclesia claudi potuit. Nox vero pariter ut heri illu-
minata fuit.

Die quâ Idibus, quæ fuit Dominica, non diminuta est imo
crevit frequentia populi supra modum. De vespere vero
clausa fuit solennitas tridualis solemnissimis Litanijs
cum diversis genere instrumentorum decantatis.

Tæd corona huius festivitatis memorandæ fuit Ignis
Triumphalis. In medio enim viæ publicæ prope Ec-
clesiam erecta fuit arx lignea foris eleganter depicta
in cuius summitate positæ fuerunt quinque Statuæ
gygantum molis, prima et insignior in medio stans
armata adinstar herois Romam Triumphantem
representans, ad pedes vero eius sedebant aliæ quatuor
Statuæ

status catenis alligato quatuor mundi partes representan-
tes, quarum quidem binę erant nigri binę uero albi coloris.
Hęc arx ab imo ad summam circumuallata fuit uarijs
pyrobolorum artificijs, cum uero iam nox facta esset, et tunc
Fons tum uniuersę in unaquaque domo fenestę illuminatę
uelut stelle splenderent, concentus musicales in quibusdam pro-
pinquis domibus dulciter resonarent, et alia plura letitię com-
munis specimina ederentur, tantus populus confluit, ut non
solum arcem tantum domosque uicinas palatia et tecta, sed et qua-
tuor magnas uias publicas sat longas et amplas occuparet,
hęc enim quatuor uis conueniunt in unum quadruium, in quo
erecta uidebatur machina. Uno uerbo urbs tota conuolauit,
et non pauci cardinales principes ceterique magnates tum
Principijs et alij nobilissimi domę in quibusdam palatijs con-
uenere. Hora tertiã noctis dato signo, cepit arx tonare, sua
que densissima tela in nubila iaculari, tam que horrida re-
sonabant tonitrua, ut struicissimam quemque uertere
facerent, tam pulchri uisu in altum euolabant pyroboli,
ut totum cęlum ignitum redere uiderentur, tam fre-
quentia incessanter coruscabant fulgura, ut nil erat uidere,
nisi ignescentes sagittas imbes que flammariferos. Durauit
plusquam per mediam horam hęc artificiosa tempestas,
quã sagittę inferunt horridos plausus immensi populi
mixtis uocibus inelamantis: *Ura la Madonna Santa del
Pascolo*. Authores huius ignis triumphalis fuisse Dni Si-
pio Braccinus et Bandinus Turcius, qui propterea iureme-
rito existimari debent. Tantam porro admirationem per
totam urbem apud omnes hęc festiuitas uero magno sumptu
et magnificentia celebrata obtinuit, ut cunctos singulosque
erga nostram Schaumaturgam deuotos clientes ad insignia
obsequia in futurum prestanda nouocauerit; hinc iam
passim

passim fertur longe celebriorem solennitatem anno
venturo instituendam fore, iamque parant multi sodales
in catalogo nomina sua referre, ut collatis studiis
sumptibusque festum Thaumaturge nostre cum omni qua
possibile magnificentia peragere in posterum queant.
Addendum est hoc, quod habuit admiratio nem apud om-
nes. Primo, quod cum insolitus turbo per totum triduum
ominaretur vehementem pluviam, prohibentes a nostra
Thaumaturga nihil effecit, sed die dominico circa me-
diem hoc tantum obtinuit, ut copiosum quidem im-
brem celo sereno emitteret, haud tamen prorsus ar-
tificiosam ignium materiam offenderet, cum tamen in
multis locis extra vires concitata tempestate hor-
rendam stragem edidisset, precipitatisque aliquot
turbibus et arboribus euulsis vastum Tiberim exube-
rantem undis effecisset. Secundo, quod cum hac in-
stante urbe nullus plane publicus actus, absque ex-
citato inter plebem rumore peragatur, sanguinisque
fiat frequenter effusio, nostra celeberrima festivitas
cum summa pace et tranquillitate inchoata et termi-
nata fuit, ita ut nec de minima querela a quo-
piam auditum fuerit. Hec sunt magnalia
Thaumaturge nostre de Pasculo, cui Romae tri-
umphanti postea uota cane triumphum
nostra Religio Basiliana.